

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italiam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorum et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

sive Vox Urbis kalendarium, sive tabulam
m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno M DCCC XLVI peractam, ad libitum
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos

pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres

— bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit

ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit

uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Iuliis MDCCCCVIII

Num. VII.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorum et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1688, Rue Notre-Dame.

MAGNI MOMENTI MONITUM

Pontifica officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA



Corso Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3
innumerorum eorumque illustrum clientum suorum animadversionem
repetit in *faculas ad noctem* atque ad collu-
strandum, quas iure proprietatis sibi protexit.

In his

Lux — Salubritas — Parsimonia
Mundities — Diuturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-
ferunt tum ex Italicis tum ex exteris officinis; perfecte com-
buruntur; tempus maximum durant.

Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candelae ex cera ad sacra — Candelae exquisitis ornamentis decorae.

Officina condita est anno MDCCCIII



Divisorium Magnum, cui a Minerva nomen

(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro,
recens omnino instauratum — Terceta cubicula et
magnae aulae — Calefactio — Balnea — Electrica lux
ubique — Machinae duo ad ascendendum — Hiemale
viridarium — Ludi trudiculares — Aulae mulieribus
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1
cuique suppeditat coronas, numismata, Christi cru-
cifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum
omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad
sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros,
omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcrarum ar-
tium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et
similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Iuliis MDCCCCVIII.

Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electio-
nes. — Varia.
Annales. — Regum colloquia. — Mauritanica res. — Turcarum seditiones —
Ex Americis.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Librorum recensio.
Ioci.
Aenigmata.

In tertia operculi pagina: TARCISIUS — Actio dramatica L. B. FRANCESIA
versibus senariis conscripta.

Intimum Vox Urbis gaudium

Gestienti animo *Vox Urbis* lectoribus nun-
ciamus, Petrum Angelinum, nobis magi-
strum et laboris socium praeclarum, a se-
cretis Brevium ad Principes a Summo Pon-
tifice electum esse.

De laetitiae sensibus quibus perfundimur
quin omnes nobiscum consentiant minime du-
bitamus; inumeros eos praesertim, qui viri
summam litterarum latinarum peritiam cum
singulari modestia coniunctam admirati, digna
meritis praemia iamdiu exoptabant; nunc vero
vota sua perfecta videntes honorem iure
datum gratulantur.

v. u.

Ex Polonia⁽¹⁾

Incredibile fere dictu ac narratu proximis hisce
diebus factum est, quod admodum raro idque antiquis-
simis temporibus fieri potuit: lata enim et sancta est
lex de « expropriatione » quae dicitur (*Enteignungs-
gesetz*), maxime hominibus iniuriosam qui patrium
sermonem et terras avitas servare conantur. Lata
est immo saeculo XX quo vivimus in Germanorum
imperio, quod per orbem « civitas bonorum morum »
dici consuevit. Numquis est, qui credit id fieri posse?

(1) In mentem lectorum revocamus nos disputandi de ipsis civilibus
rebus ampliorem facultatem sociis concedentes, ut quisque sententiam
suam omnino in se recipiat, intelligi vello.


Atqui hodie iam ultima Thule in ephemeridibus le-
git Borussos, Polonis, quorum in Germania plus
quam tricies centena milia sunt, patriam, a maioribus
acceptam, per vim eripere constituisse, possessores
autem cogere ut in foeda et aeterna servitude vivant,
aut omni re privati procul a patriis fundis novas
sedes querant.

Sed ante quam de ista crudeli lege dicam, pauca
mihi prius narranda esse videntur, quantum infelix
populus sub Germanorum quoque Caesaribus duris-
imo plus quam centum annorum iugo perpessus sit.

Diviserunt nos in partes tres... Quid autem de
illa Poloniae divisione ipsi Germani sentiant, docet
Hahn' doctor, rerum gestarum scriptor Germanus,
in opere, quod *Friedrich der Grosse* inscribitur: « Po-
loniae divisio — inquit — omnibus temporibus vis
infirmiori illata habenda est et habebitur ». Regiones
enim divisae ab omni tempore et post hominum
memoriam Polonorum erant, ereptae autem sunt et
ademptae a Friderico II, Borussorum rege, (nunc Ma-
gnus Ducatus Posnaniaensis, qui antea ne unum qui-
dem diem Germaniae pars erat). Id. Sept. a. MDCCCLXXII
quidem ille rex Polonis maximam spopondit liber-
tatem, sed mox gravissime in Polonus consulere coe-
pit: bona ecclesiastica publicabat, Polonas regiones
omni ratione in Germanas mutabat... Post imperato-
rum Vindobonensem conventum (MDCCCV) Polonorum
sermo et mos in dies magis magisque coerceri coep-
tus est contra ea, quae promissa erant, secundum autem
Hartmannii, Borussorum philosophi, sententiam: « Vis
ante omnia ! ».

Quamquam Poloni contra imperii hostes pro Ger-
mania fortissime pugnaverant, tamen Borussi ne ii

lingua Polonica uterentur vetuerunt. Ita ne privatum quidem quemquam Polonice docere licuit, cuius rei accusatis magna constituebatur poena. Acerrime pueri in ludis reprehenduntur, quod Germanice loqui nesciant... Quamquam Guilelmus rex haec Polonis spondit: « Vester sermo in universo imperio idem valabit ac Germanicus ».



Germani ponunt Polonis in crimine, quod se ab Germanis separare conentur ac libertati studeant, propterea quod anno MDCCCXLVIII contra regem pugnassent. Sed Berolinenses quoque Germani arma cuperunt, quibus de libertate deererent. Num in Berolinenses res animadvertis? Atqui Poloni ab ipsis Germanorum magistratibus ad seditionem incitatos esse anno MDCCCLX magna cum totius Europae offensione ac stupore detectum et patefactum est.

Bismarckii temporibus XL milia Polonorum ex Germania eiecta sunt, alii in vincula detrusi. Occultus HKT coetus conditus est, cuius perpetuum est consilium Polonus ad internectionem delere et redigere. Id autem querentibus Polonis ab nonnullis Borussiae clamatoribus periculi Poloni, falsi et fictiti monstri, excusatione utentibus et civium suorum animos perterritibus responsum datur: « Poloniam restituere vobis in animo est... »

Quid? Anno MDCCCLXXXVI delecti sunt viri, qui Germanicas colonias in Polonicas regiones passim deducerent, quod collegium coloniis deducendis et collaudandis (*Kolonisationscommission*) ingentem pecuniae vim quotannis impendit. Insper lex est lata, qua Polonus quisque, qui novum fundum emerit, nullo modo invitis magistratibus domum aedificare possit! Itaque plerique agricolae, ut frigus imbrese vitare possint, currus emere coguntur! (1).

Hoc denique anno «lex expropriandi Polonus», quae dicitur, lata est atque instituta, mox autem a Germanorum Caesare sanctione confirmata, de qua peculiariter in proximo numero dicemus.

Cracoviae, mense Maio MDCCC VIII.

LAD. LUD. PODOBINSKI.

(1) Notus est per orbem primus id genus currus Drzymata.

*Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum, quae in potestate habuimus, ea amissimus.*

PLAUTUS.

*Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus
In summis mintisque.*

IUVEN., XI, 27.

DE LINGUIS VIVIS ET MORTUIS

Ad Magistros Linguae Latinae.

Notissima sane et undequaque gentium audita est illa linguarum in classes distributio, qua aliae linguae vivae, aliae mortuae appellantur. Haec appellatio quatenus recte ac veritati congruenter usurpetur hic disputare placet. Quapropter, quoniam circa veritatem rei ad artem philologicam pertinentis versatur disputatio mea, praetermittam eorum opiniones, qui voces artium proprias certisque praeditas sensibus ad latiorem significationem transferre student atque falsum quid connotare iubent.



Primum igitur omnium fatendum est hanc quam memoravi distinctionem (modo recte accipiatur) iudicium esse, non vituperationem, et in veritate historica atque philologica fundamentum reapse habere. Etenim omnes linguae, quotquot sunt, multiplici respectu considerari, iudicari, in classesque distribui possunt. Quippe origo, indeles, vetustas, usus magis minusve communis, utilitas sive per se spectata sive ut est agnita, libertas aut egestas, pulchritudo tum grammatica tum rhetorica, litterarum gloria et laudes, denique quaecumque ad quamlibet rationem linguarum historicam, philosophicam, philologicam, glossologicam pertinere existimantur, totidem notas discriminaque recensentibus praebent. Quod si cui amatori latinorum studiorum displicet denominatio « mortuae linguae », una causa rei est quod ab eis potissimum celebratur, qui ex ipso nomine aliquod argumentum vel potius convictum contra studia optima tanquam dudum obsoleta nostrisque rebus parum respondentia falso inferunt. Atque merito sane isti homines suspecti sunt: id enim ipsum plerumque dicere volunt.

Quae quum ita sint, eam notionem quae vere proprie huic distictioni «vivi» et «mortui» inest aliquanto melius tuebimur si in vivo mutabile, in mortuo immutabile constanter intellegemus. Namque nihil aliud significat illud vivere linguam, nisi moveri atque mutari, crescere et decrescere, efflorescere et deflorescere, verbo alias ex aliis induere flectendi, et loquendi figuris. Quaecumque autem linguae extra sortem mutabilitatis sunt, hae ex vivis excessisse dicuntur, sed tamen non eo sensu, ut omnes periisse intellegantur. Nam minime communia fata passae sunt. Scilicet, pleraque earum, ut antiquorum barbarorum loquelae, in elementa, nullo vestigio relicto, olim redactae sunt; aliarum autem adhuc exstant cadavera et ossa inspicienda; Latinorum vero gloriissima lingua, mortali condicione expleta, coniuncta

ctam cum immortalitate suam immutabilitatem consecuta est et ita in terris versatur, ut nulli vicissitudini obnoxia sit, ita hominibus famuletur ut nemini potest novas leges in se condendi concedat.

Tertium autem genus est earum linguarum, quae ex unius hominis animo artificioque profectae sunt. Hae nec vivere nec vixisse unquam censendae sunt. Vegetativa enim vita (qualis in vero sermone certatur) prorsus carent. Crescant quidem at non vivendo crescent: scilicet aedificiorum modo et bruta materia hinc illinc collecta fabricantur. Haud dissimili sententia est Iacobus Tassetius, vir summe cor datus, qui nuper rogatus a me quid de hac re sentiret non inepte respondit « animal esse linguam, non machinam ». Talis est meo iudicio Esperantica loqua, quae non tam animal est, quam simulacrum. Tamen, si eloquar quod videtur, non omnis factitia lingua origine damnatur neque Zamenhofiana consilia sua laude privanda sunt. Dicitant quidem ipsi Esperantistae vivere suam linguam: quod contra tam diu utilis esse poterit quam diu vitam non possidebit: nam si ad vivendi statum pervenerit, tum etiam mortalitatis subbit condicionem et alter alibi aliquando mutata atque corrupta, aut in diversas abibit dialetos aut omnino corruet.



Quamquam sensu maxime atque exactissime proprio, de nulla omnino lingua, quae modo in aliquo inter homines usu sit, absoluta immutabilitas praedicari potest. Tanto autem crebriores maioresque mutationes subeunt linguae, quanto ad imperitorum mobilia ingenia proprio accesserunt. Per pauci enim homines grammaticorum sollertia assequuntur, sed ex contrario sermonem suum domesticum pro vili mancipio habent. Scilicet, *uno avulso, non deficit alter!* Ideo factum est ut dum in vulgi ore est latina lingua, frustra grammatici, frustra oratores certos terminos statuere niterentur. At ubi ex una lingua duae extiterunt loquendi formae, nempe vulgaris mutata ac mutanda loqua et vetusta ac vere romana latinitas, illa quidem per varias egressa vias recentiores sermones, prolem pulcherrimam genuit; haec vero tanquam a servitate vulgari liberata et ipsius veritatis facta liberta Ecclesiae et orbi docto officia nobilissima praestare coepit.

Utrumque, opinor, genus opus nobis est, et cottidianarum interpres rerum qui locis temporibus pro arbitrio varietur, et fixa, immutabilis eademque semper ubique communis conscribendi et colloquendi ratio. Illis usibus satis facit quaelibet loqua non barbara: hos et olim diu optime praestitit et nunc ante omnes unus praestat latinus sermo. De eorum vero sententia qui in Esperantismo spem suam po-

nunt et *sub viridi signo* (ut ipsi loquuntur) omnes difficultates facilis negotio exsuperatum iri confidunt, haec respondenda puto: nullus sermo omnibus numeris perfectus exstitit, neque vester interpres omni ex parte probari potest. Multum commendationis habet facilitas discendi, multum simplicitas declinationum, multum licentia ista novorum verborum certatione ad libitum fingendorum; at caret Esperantismus propriis fontibus, caret vocabulorum certis connotationibus. Verbi gratia, una voce esperantica *pastro* duarum vocum significationes longe dissimilium comprehenduntur *sacerdotis* et *pastoris*, quasi unum idemque sit status dignitatis permanentis et officii exsecutio. At, — inquit, — quodcumque necessarium erit asciscetur. Credo sane: at unde, quibus sensibus, qualibus connotationibus? Haec omnia, opinor, verae linguae suppeditabunt. Non ludifico, non exagito Esperantismum: suis officiis fungitur, suis laudibus cumulatur; at suis finibus continet, neque illarum linguarum quae veri nominis sunt principatum obtinere meretur.



Sed haec hactenus. Restat ut nos pro virili parte officio nostro in studia optima et in eos quos doceamus satis facere studeamus. Vindicanda est multiplex linguae Latine utilitas, inveniendas sunt meliores docendi rationes, comparandi sunt libri, immo vero, conscribendi, quibus suavius, commodius, utilius timorum animi ad debitam facultatem erudiantur. Ea quae opus esse arbitror alio tempore, si placuerit, paulo fusius tractabo.

Ex oppido S. Boise, Idaho.

T. CHAVE.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE HISTORIA

(Cfr. num. VI.)

Hercules Ricotti professor.

Principem sibi locum adeptus est inter historicos sui temporis Hercules Ricotti, Dertonensis. Primis vitae annis in studio mathe sis transactis, ad quam acrius animum appulit, vix viginti annos natus, stipendia meruit sub rege Carolo Alberto, quum ad vindicandam Italorum libertatem, primum dimicatum est aduersus Austriacos in Insubria. Vix rebus compotis, ad intermissum historiae studium alacri animo se contulit. Verum Carolus Albertus, ne liberiori spi-

ritu et novitatis ardore compulsi, sui ad licentiam potius inclinarent, quam ad germanam libertatem fovendam, quae mordicus veritatem rerum in medium referre ab omni prudenti silentio abhorrentem in more haberet, statuit ne recentioris aevi historia publice traderetur.

Optime noverat sapientissimus ille rex, quae passim in rempublicam fluere consuevit infinita malorum congeries, ex uno historiae fonte turpiter derivata. Quo nomine Herculi Ricotti novum magisterium permittitur de *Geographia et Statistica*. Et hoc munus, qui suus erat mos, egregie gessit per aliquot annos. Serius ad historiam tradendam recentioris aevi revocatus, summo opere contendit, usque ad devexam aetatem, ut alumni disciplinae sua res a maioribus gestas cum amore arriperent atque in eodem studio alacres prosequerentur. Praecipua ei virtus perspicuitas, etiamsi stilo uteretur presso et brevi, uti Tacitus facere consuevit, in quem unice respiciebat.

Iuvabit tamen obiter animadvertere quodnam esset hoc tempore doctorum italorum studium, in iis praesertim quae ad historiae patriae munus attinent. Hac enim aetate illa historicorum schola invaluerat, recentiori vocabulo a *Neo-guelphis* appellata, quae, adnitibus potissimum Caesare Balbo in Subalpinis, Gino Capponi in Etruscis, et Carolo Troia in Neapolitanis, omnia in patriam communem fausta aduentura portebat, hac una lege, ut principes, quibus tunc temporis res italicae permittebantur, foedus inter sese amice ferirent in omnibus quae ad commercia pertinerent atque ad interiorem singularum provinciarum prosperitatem, animisque concordibus ac simul conspirantibus sub ductu consilioque Pontificis Max. Romani. Prae ceteris hanc sententiam amplexatus est et mira sane eloquentia ac verborum altitudine Vincentius Gioberti, sacerdos Taurinensis, et apud populares suos confidentissime evulgavit. Quo nomine, veluti divina virgula excitati, uno eodemque tempore per omnem fere Italiam hunc omnes praeclari ingenii viri philosophum summum acerrimumque patriae decus unanimiter praedicabant. Cuius potissimum verbis Itali ad novam rerum promissam felicitatem adsurgunt, in spe quoque defixi tandem aliquando proximam orituram esse aetatem, qua ipsi ab stirpe similes iisdem mox legibus moribusque in unam gentem coalescerent.

Et Hercules Ricotti, in ipso iuventutis flore, in Caesarem Balbo huiusc consilii auctorem unice respiciens, verbis et scriptis in adolescentium scholis, atque in vulgus totus erat in conscribendo, fore Italos liberos fortunatosque, si veterum Guelphorum mores sequerentur, atque si Pontifici Maximo adhaerentes, eius consilia et placita vel in regunda republica perficerent.

Verum quum novus apud Subalpinos ordo rerum renascitur, et Pius IX P. M. insanis undique fluctibus iactatur, et iniustis criminibus obrutus, unus iura religionis et sacri principatus libero ore defendit, Ricottius, mutato consilio, audacter in sacrum Romanorum Pontificum principatum invexit, quem paullo ante Italicae dignitatis atque incolumitatis adsertorem uno omnes ore profiterentur, insimulatus eum primam omnium malorum originem, quae post imperii occidentis ruinam ex omnibus inde populis in Italos irrepserunt. Dolendum sane, quod inde pessima doctrinae placita manaverint, quae in omnes fere Italiae scholas miserum in modum coinquaverunt.

Hac quoque mente quatuor volumina de Augusta Sabaudiae domo conscripsit, antequam in omnem Italiam se conferret, quae si descripta optime dixeris et magno animi obsequio erga principes in immensum auctos, et puro pressoque eloquio, confitearis oportet haec hostili animo scripsisse adversus Pontifices Maximos, qui, labentibus saeculis, ut sarta tecta iura religionis servare niterentur, pro aris et focis cum principibus dimicandum esse non dubitarunt, ut ea tuerentur. Quo vero liberiorem reipublicae constitutionem a Carolo Alberto rege primitus concessam pulcre ac fortiter servarent Itali et pro ipsa tuenda vel animae periculo dimicare essent parati, diu de Anglica Constitutione disseruit cum discipulis in scholis, quas postea acroases in unum corpus collectas in vulgus edidit, in pignus amoris erga suos et in populorum monumentum, qui in libertate vivunt.

Hic vero, quem grati animi causa magistrum meum carissimum adpellabo, pollens ingenio, omnibus publicis muneribus in patria adhuc iuvenis auctus, adlectus inter senatores, atque in doctorum hominum coetus per Europam ultro est cooptatus; sed, quod periculosiora tempora nactus esset, vel religionem parum memorat, vel in anglicanam potius facile respicit, laudibusque cumulat.

Eius opera in primis perspicuitate laudanda etiam nunc legentium manibus teruntur, et procul dubio posteritati tradentur.

Obit Augustae Taurinorum an. MDCCCLXXXVI.

SUBALPINUS.

*Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit open res, et coniurat amice.*

HOR., Ep. ad Pis., 409.

*O sacer et magnus vatuum labor! Omnia fato
Eripis et populis donas mortalibus aevum.*

LUCAN., IX.

FASTI ARGENTORATENSES

Superiore mense Aprili, Gymnasium episcopale Argentoratense ad S. Stephani exegit a suo ortu annum xxv; qui memorabilis eventus ibidem celebratus est non solum actis Deo solemnibus gratiis, verum etiam indicto coram frequenti lectaque auditorum corona conventu academico, quem eloquentia, poesis et musice illustraverunt.

Iuverit autem quaedam hic praemittere de memoria S. Stephani templo deque ipse urbe Argentorato.

Argentoratum, cui serius nomen Strasburgum, urbs Alsatiae princeps, antiquissimum Celtarum castrum ac deinceps apud Romanos legionis octavae statio, religioni christianaee mature patuit. Recensetur inter eius epicos S. Amandus, cuius nomen anno CCCXLIII in actis concilii Sardicensis apparuit. Alium e suis praesulibus, S. Arbogastum, qui saeculo vii floruit, Argentoratenses caelestem sibi Patronum delegerunt. Celeberrimum est huius urbis templum cathedrale, cui adiecta est turris altissima, gothicae artis insigne monumentum. Antiquitate vero praestat templum S. Stephani Mart., quod, regnante stirpe Merovingica, una cum monasterio sacrarum virginum et villa regia ibidem exstructum est; cui monasterio olim praefuit S. Attala, neptis S. Ottilliae, alterius Alsatarum apud Deum Patronae.

Saeculo XVI, quum magistratus Argentoratensis a fide catholica defecisset, *pseudoreformati* non solum templum cathedrale occupaverunt, verum etiam aedem S. Stephani cum adnexo monasterio. Bina tamen tempora catholicis restituta sunt, postquam Alsatia sub rege Ludovico XIV in Gallorum ditionem devenit. At sub finem saeculi XVIII, quum magna apud Gallos exorta perturbatio omnia subverteret, monasterium Stephaniense partim dirutum fuit, partim in profanos usus conversum. Quae tamen adnexa templo superfuerunt aedifica, anno MDCCCLIX, aere dioecesano redempta sunt, ibique magnis erectum est sumptibus Collegium iuniorum Clericorum, vulgo appellatum *Seminarium minus*, quo brevi tempore alumni frequentissimi confluere cooperunt.

At felix haec rerum conditio hand diu perduravit. Anno MDCCCLXXIV quum in tota Germania, atque imprimis in Alsatia recens capta, saeviret adversus catholicos Bismarkiana persecutio, clausae fuerunt per vim scholae ad S. Stephani, obmutescere iussae. Tandem post nonnullum, quum interea universa reclamaret catholica Alsatia, Seminarium minus iterum patuit, assumpto tamen nomine *Gymnasii episcopalis*. Ex illo die anni praeterierunt XXV, omnes quidem fructibus saluberrimis fecundi. Nam primo statim anno ad scholas illas accurrerunt alumni plus quam ducenti et triginta, quorum numerus postea dupli-

catus est vel etiam triplicatus. Ex tanta antem discipulorum multitudine, quos Gymnasium in solida pieitate institutos abunde simul litteris ac bonis artibus imbut, longe quidem maior pars civile vitae curriculum secuta est; at conspicua etiam legio, iuvenum fere quadringentorum, militiam sacram ampla, anmarum se saluti devovit sive inter ordines Cleri Alsatini, sive in variis Religiosorum coetibus, sive denique in remotissimis Africæ, Asiae vel Oceaniae plagiis.

Haec igitur Dei beneficia Gymnasio collata, praesente Episcopo aliquis viris spectatissimis, memorata fuerunt et celebrata cum in templo S. Stephani, tum in aula Gymnasii maxima, die quidem XXVI Maii, ad quod tempus translata est auspicati anniversarii festiva commemoratio. Ac ceteris quidem, quae tunc perfectae fuerunt, elucubrationibus germanice compositis, latinum ego carmen rogatus sum adiicere, quod libens feci, patrio etiam amore impulsus. Id autem carmen, quod unus ex alumnis recitavit, moxque musicis aptatum modis iuvenum chorus decantavit, his erat conceptum verbis:

ANNO . XXV

EX . QVO · CONDITVM · EST · ARGENTORATI
GYMNASIVM · EPISCOPALE
AD · S. STEPHANI · MART.
MENS. APRIL. MDCCCLXXXIII - MCMVIII

Urbs ab Argento vocitata, templo
clara turrito, vetus Arbogasti
cura! frondosus tibi fert Aprilis
gaudia sancta.

Lustra nunc cernis revoluta quinque,
Litteris ex quo sociata Virtus
condidit vastum, Stephani quod ornat
palma, Lycaeum.

O Deo carum patriaeque Limen,
densa quod pubes terit Alsatina!
Centies salve, Schola, diligenter
florida cultu!

In tuis aulis operosa fervet
ars; susurrantis velut alvearis
prodit hinc murmur: sua namque pensa
solvit alumnus;
solvit inspector vigil; eruditus
solvit ex alta cathedra magister;
solvit et praeses, data cui potestas
euncta regendi.

Quot sacerdotes, quot apostolorum
aemulos, altrix Domus, educasti,
affatim doctos animis perennem
ferre salutem!

Nec minor per te legio quotannis
discit in cives adolere frugi,
qui pie certent strepitu sub ipso
vivere saecli.

Perge susceptam gremio iuventam
strenuos Regi generare Christo
milites, quorum timeat cornuca
Tartarus arma.

Alsatis sacros, age, da ministros;
da peregrinis, quibus umbra leti
imminet, terris; neque pars cucullo
fallat amictos.

Ceteri tandem, varias per artes,
utili firment ope civitatem,
laude doctrinae celebres fideque
relligiosa.

Tuque de caelis, pater Arbogaste,
sis Ephebei vigil ipse tutor;
Litteris almo societur usque
foedere Virtus.

FRANC. X. REUSS.



Ceopis pyramidis prospectus.


PHARAONUM SEPULCRA

Fama est Pharaonum regem quemque, quum Aegyptii thronum concenderet, iubere solitum sui sepulcri exstructionem statim incipi, in universum ad pyramidis formam, ita ut quo diutius regnum perduceretur, eo maior moles fieret; eamque progradientem sedulo invigilare tum ex aliquo loco, qui proximus esset, tum ex Memphis turbis regalis aedibus.

Hinc enim non longe funebria Pharaonum monumenta fuerunt ipsis aedibus ac templis superstites, quem ad modum in longitudinem centum millia passuum ad deserti limitem usque magnitudine ac perfecto opere alia satis temporis iniuria incolumia, alia in ruinam dilapsa videre est.


Ceopis pyramidis, cuius prospectum hodie exempli gratia praebemus, sublimis tollitur ad pedes 482, pedibus duodecim crucem exsuperans, quae in summo basilicae B. Petri tholo effulget. Quinimo si pyramidis haec non quidem solida omnino, sed effossa atque vacua extaret, Romanum illud maximum templum omne continere posset, non aliter atque artis specimen delectum sub vitrea custodia. Superficie enim patet 50.000 circiter metra quadrata; singula autem basis latera pedes 765 porriguntur. Finge itaque tibi menti, candide lector, octogies et quinques centena millia pedum cubicorum ex saxis saeptis ita coacervatis ut pyramidem formarent ad eam perfectionem deductam, ut ex illius umbra et angulis satis esset astronomicas rationes instituere!

Hisce proculdubio incitatus Gustavus Richter, pictor Germanorum eximius, tabulam cogitavit historicam, quam pariter hisce paginis impressam referimus; quamquam imaginum et colorum vim, quae pictoris singularem laudem constitunnt, ut Monachii admiretur, quemque delegare coacti sumus.



Monitum.

Socios, qui mense Iunio elapsu subnotationis suae tempus expleverunt, ad eamdem cito renovandam invitamus, ne commentarii intermissionem sint passuri.



Nova Philandri Bavari de aqua disputatio

(Cfr. num. sup.).

Venio nunc ad fluctus, quorum longior erit explicatio. Primum quidem semper sunt in mari undae ventorum impetu perpetuorum excitatae, neque tamen aquae partes, quemadmodum videntur, a suo loco decurrent, sed levantur tantummodo et residunt, vel rotantur suoque pressu propinquas partes ex aequilibitate deiecto simili motu protrudunt: forma vero undarum videntur serpente ut crassa et longa vestis, cuius manu unum finem celeriter leves et remittas; ipsam autem aquam eodem fere loco restare turbatam maxime illud demonstrat, quod, lignum si iniicimus in undas, exsilit quidem et reddit cum unda, nec tamen aufertur a loco, nisi forte vento provectum aut flumine, de quo postea loquar, correptum. Saepe scriptum videmus undas marinas quasi montes extolli, aedificia summa superare, id quod neutquam credi debet, etiamsi periclitantibus ita videatur. Mensores enim undarum tranquilli raro viderunt undas altiores, quam octo metra, summamque, quam mensi sunt, quindecim metrum ferunt fuisse. Unda autem quae alta est octo metra, ad ducenta quinquaginta metra longa est, et celeritas, qua protrudit subsequentem, vel qua videtur moveri, est metrum viginti quinque. Singulis ergo horae scripulis propagatur metra vicina quina, proinde sexagesima horae parte sesquichilometrum, singulis denique horis nonagena chilometra. Multo maior haec est velocitas, quam venti, et magna in mari fluctuatio longe ante

nautis annuntiat procellam futuram. Sunt etiam undae, non ventis, sed ignis ex ima terra eruptione effectae, quarum incredibilis est ferocia ut septingena singulis horis chilometra proruant: quo enim altiores undae sunt, eo celerior earum est propagatio. Mitigantur undae oleo, quod iam Aristoteles habuit compertum; maior enim summae aquae oleo fit compactio.

Tum certis intervallis aqua e mari ad actam accedit, paulo post relabitur. Potest quidem perpetuo vento ad terram adigi, sed refluit quum ventus desinit, nec sine ventis revertitur. Quod autem temporarius est maris aestus et recessus, lunae tribuendum est, quae quadam vi ad se attrahit terram, si recta instituitur astrorum compositio, postea remittit. In

aperto oceano aestus quem summus est metrum duorum et dimidi, in angustis autem canalibus superat metra quindecim, in quodam sinu Americano triginta. Aestuat mare apertum certis temporibus, diversis autem in diversis portibus, diversum est, ut aiunt, portuense tempus, id est intervallum, quod inter undae aestuosa appulsum et summam e portu



Pyramidal constructio (G. RICHTER tabula Monachii asservata).

lunam interest. Quidam est in Neoginea aestus, quem non luna, sed sol temperat, qui bis in die oritur, paulo post meridiem et post medium noctem.

Noli autem credere undarum moles nihil, nisi spumam iactare: terram avellunt, alio transportant et exstruunt. Magnus sane est fluctuum impetus; varie tamen litorum forma et materia afficitur: grantes non tam facile oblitur, quam lapis fossilis aut arenaceus, litora leniter accolvia non roduntur, sed potius subinde augentur, praerupta antem exeduntur. Primum enim excavatur, ea actae pars quam perennes lambunt undae, totaque moles tandem sublata et fundamento destituta cum ingenti sonitu in mare irruit; deinde nova cava fodunt fluctus inde-

bilitati, novam terra facit ruinam, dum lenis acclivitas et aequa sit expedita aquae ad terram via. Sic Francogalliae et Angliae litora abluntur; sic septem in mari Germanico insulae, quarum non iam videamus vestigia, deletae sunt, sic insulae in eodem mari sexdecem — viginti tres fuisse Romanorum scripta comprobant — delentur; sic Dollart et Iade sinus maris Germanici et Zuidersee in sinus mutati sunt. Illi quum anno millesimo ducentesimo nulli fuissent, nunc occupant spatium trecentorum chilometrum quadratorum.

Sed transportare etiam et exstruere undas dixi. Hoc autem fieri solet maxime ad fluminum ostia. Flumina adducunt multam e montibus arenam et lutum, quod in mare effundunt; sed undae ad terram repulsum deponunt. Hoc Ostia urbs quondam valde celebris demonstrat. Quae quum ad mare esset apposita — nomen enim accepisse patet a Tiberis ostio — sensim a mari regressa est.

Iam satis diu te sum moratus, Laurenti; tam multa me dicturum non speraveram. Restat solum ut de fluminibus marinis paucam expromam; id enim extremum posueram. Quid ego singula istorum fluminum nomina congeram? Vide, si placet, chartam! Dicuntur autem flumina, quia eae partes aquae alio deflunt, et essent terrestribus fluminibus similes, si terrena ripa coercentur. Disce eorum originem. Movent aquam etesiae, quae sunt perennes venti ex utroque polo ad aequatorem allati, de quorum natura alias videbimus. Movet summae aquae inaequalitas: eadem enim altitudinem aqua appetit in omnibus receptaculis, quae inter se nectuntur ut ex uno in alterum effluat. In quibusdam autem maribus, ut supra iam dixi, aqua vehementius vaporat, quam in coniunctis; affluit ergo ex his, ut ad ostium ex oceano in mediterraneum.

Denique movet ponderis differentia. Aqua enim effecta prope aequatorem calore levior ad polos defluit, tum frigore gravior ad inferius mare delabitur, post ad aequatorem leviter refluit, ut iterum calefacta ad polum revertatur cursu sempiterno. Haec flumina maris temperant terrarum caelum, dispergunt plantas — saepe videre fuit palmarum fructus in mari natantes — ditant piscatores. Pisces enim callidae quorundam fluminum aquae impatiens propter illam admodum crebri feruntur in piscatorum extenta retia.

Finis iam est, Laurenti, huic disputationi impendus. Tetigi multa equidem, quae, si, ut fieri debet, copiosius illustrarentur libros requirent; quibus si accederet sermo elegantior et aliqua facundia, animos et instruerent et delectarent. Haec autem, quae a me de aqua accepisti, te ad acre rerum physicarum studium commoveant. Profecto non abducit homines a religione rerum cognitio, sed quo pruden-

tius imbibes, quo sapientius rationem ducem sequeris, eo magis admiraberis infinitam rerum omnium institutoris atque gubernatoris, sapientiam, et sponte cum psalmista rege exclamabis: «Quoniam admirabile nomen tuum, Domine, in universa terra!» Vale.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encycliche de modernistarum doctrinis.

(Cfr. num. sup.).

Modernistarum sistema universum eiusque effectus.

In tota hac modernistarum doctrina exponenda, Venerabiles Fratres, videbimus forte alicui diutius immorati. Id tamen omnino oportuit, tum ne, ut assolet, de ignoratione rerum suarum ab illis reprehendamus; tum ut pateat, quum de modernismo est quæstiō, non de vagis doctrinis agi nullo inter se nexus coniunctis, verum de uno compactoque veluti corpore, in quo si unum admittas, cetera necessario sequantur. Ideo didactica fere ratione usi sumus, nec barbara aliquando respinius verba, quae modernistæ usurpant. — Iam systema universum uno quasi obtutu respiacentes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon conjectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem numquam plenius perfecisset, quam modernistæ perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod iam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus: hinc qui liberius aptiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistæ auxiliatores inventisse gratulantur. — Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam illam *agnosticismi* doctrinam. Ea scilicet, ex parte intellectus, omnis ad Deum via præcluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cuiusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis non videat? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum; homo externos sensus, ad quos iam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum; nam phantasiae quævis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt: communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, nou adiumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquinimus ut in se est; nam verum illud alterum *subjectivum*, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil ad modum homini confert, cuius scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cuius in manus aliquando incidet. — *Experienciam* enimvero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi adiiciat? Nil plane, præterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate obiecti. Iam haec duo profecto non sufficient ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque eius immutant naturam, semper deceptione obnoxiam, nisi regatur intellectus; immo vero illam confirmant et iuvant; nam sensus quo intensior, eo potiore iure est sensus. — Cum vero de religioso sensu hic agamus deque

experiencia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina quae ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorundam præcipue in quibus eminent sensus; nostis ex librorum consuetudine, qui de ascensi tractant; qui quamvis modernistæ in nullo sunt pretio, doctrinam tamen longe solidiore, subtilioremque ad observandum sagacitatem præseferunt, quam ipsi sibi arrogant. Evidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris, nulla facta investigatione, experientias intimas habere, cuiusmodi modernistæ venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi, quem plura catholicorum millia se habere assentur de devio itinere, quo modernistæ incedunt? Haec ne tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nulli mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi nunquam posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla. — Nec modernistæ meliora sibi promittant ex asserta *symbolismi* doctrina. Nam si quævis intellectualia, ut inquit, elementa nihil nisi Dei symbola sunt; equid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatæ divinae? Quod si ita, iam de divina personalitate ambigi poterit, patetque ad pantheismum via. — Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, dicit doctrina alia de *immanentia divina*. Etenim hoc quærimus: an eiusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur reiicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* haec modernistarum vult atque admittit omne conscientia phænonemon ab homine ut homo est profici. Legitimæ ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine: ex quo pantheismus. — Distinctio demum, quam praedicant, inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Obiectum enim scientiae in cognoscibilis realitate ponunt; fidei et contra in incognoscibilis. Iam vero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter obiectum materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus nunquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti aequæ ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, haec erit realitatis incognoscibilis; quae cur etiam mundi animus esse nequeat, quem modernistæ quidam admittunt, non videmus profecto. — Sed haec modo sufficient ut abunde pateat quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Evidem protestantium error primus hac via gradum iecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingredietur.

Modernismi causæ.

Ad penitiorem modernismi notitiam, et ad tanti vulneris remedia aptiusquaerenda, iuvat nunc, Venerabiles Fratres, causas aliquantum scrutari unde sit ortum aut nutritum malum. — Proximam continentemque causam in errore mentis esse ponendam, dubitationem non habet. Remotas vero binas agnoscamus, curiositatem et superbiam. — Curiositas, ni sapienter cohabeatur, sufficit per se una ad quoscumque explicandos errores. Unde Gregorius XVI decessor Noster iure scribebat (1): *Lugendum valde est quoniam probabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibique nimium præfidens, veritatem*

(1) Ep. Encycl., *Singulare nos*, 7 Kal. Iul. 1834.

querendam autem extra catholicam Ecclesiam, in qua abeque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur. — Sed longe maiorem ad obsecrandum animum et in errore inducendum cohibet efficientiam superbiam: quae in modernismi doctrina quasi in domicilio collocata: ex ea undeque alimenta concipit, omnesque induit aspectus. Superbiæ enim sibi audacias præfidunt, ut tamquam universorum normam se ipsi habeant ac proponant. Superbiæ vanissime gloriantur quasi uni sapientiam possidente, dicuntque elati atque inflati: Non sumus sicut ceteri homines; et ne cum ceteris comparentur, nova quæque etsi absurdissima amplectuntur et somniant. Superbiæ subiectionem omnem abiiciunt contenduntque auctoritatem cum libertate componendam. Superbiæ sui ipsorum oblitio, de aliorum reformatione unice cogitant, nullaque est apud ipsos gradus, nulla vel supremæ potestatis reverentia. Nulla profecto brevior et expeditior ad modernismum est via, quam superbiam. Si quis catholicus e laicorum coetu, si quis etiam sacerdos christianaæ vitae præcepti sit immemor, quo iubem abnegare nos ipsi si Christum sequi velimus, nec auferat superbiam de corde suo; nac is ad modernistarum errores amplectendos aptissimus est quam qui maxime! — Quare, Venerabiles Fratres, hoc primum vobis officium esse oportet superbis eiusmodi hominibus obsistere, eos tenuioribus atque obscurioribus muneribus occupare, ut eo amplius deprimentur quo se tollunt altius et ut, humiliore loco positi, minus habeant ad nocendum potestatis. Praeterea tum ipsi per vos tum per seminariorum moderatores, alumnos sacri cleri scrutinii diligenter; et si quos superbo ingenio repereritis, eos fortissime a sacerdotio repellatis. Quod utinam peractum semper fuisse ea qua opus erat vigilantia et constantia!

Quod si a moralibus causis ad eas quae ab intellectu sunt veniamus, prima ac potissima occurrit ignorancia. — Evidem modernistæ, quotquot sunt, qui doctores in Ecclesia esse ac videri volunt, moderna philosophiam plenis buccis extollentes aspernatique scholasticam, non aliter illam, eius furo et fallaciis decepti, sunt amplexi, quam quod alteram ignorantes prorsus, omni arguento caruerunt ad notionum confusionem tollendam et ad sophismata refellenda. Ex conubio autem falsae philosophiae cum fide illorum systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Ex decr. d. xxv mens. Maii MDCCLVIII in indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur: L'ABBÉ EMMANUEL BARBIER. *Le progrès du libéralisme catholique en France sous le Pape Léon XIII: histoire documentaire*. (Paris, P. Lethielleux).

— *Ne méllez pas Léon XIII au libéralisme*. (Ibid., 1907).

JEAN D'ALMA. *La controverse du quatrième évangile*. (Paris, E. Nourry, 1907).

ANTOINE DUPIN. *Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles*. (Ibid., 1907).

C. ROMANO D'AZZI. *Un vasto inganno: la risurrezione dei morti*; studio critico. (Roma, Enrico Voghera, 1907).

FERNAND HAMELIN. *Le journal d'un prêtre*. Roman. (Paris, Stock, 1908).

Eodem decreto constat Paulum Bureau decreto S. Congregationis edito die xvii mens. Martii MDCCLVIII, quo liber ab eo conscriptus (1) notatus est et in Indicem librorum prohibitorum insertus, laudabiliter se subiecisse.

(1) Cfr. Vox Urbis an. X, n. IV.

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Maii - d. xx mens. Iunii M DCCCCVIII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more advererunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ioannes Tasso, episcopus Augustanus consecratus cum legatione sua dioecesis; Carolus Mac Donnell, episcopus Brooklynien. cum peregrinorum Americanorum manu; manus peregrinorum Polonorum ab excellentissimo episcopo Berisen., Loviczi suffraganeo archiepiscopi Varsaviensis, coram adducta; manus peregrinorum ex dioecesisibus Magno-Varadien. et Lugosien. Rumenorum a suis episcopis adducta; Antonius Fiat, Superior generalis Sacerdotum Missionum et Puellarum a Caritate cum legatione eamdem Congregationum; Ambrosius Amelli O. S. B., S. Mariae Florentinae Abbas; Pacificus a Seggiano, administer generalis O. M. S. Francisci Capulatorum nuper electus, cum consilio Ordinis sui; Raphael Merry del Val, olim Hispaniae legatus apud Apostolicam Sedem, eiusque familia; Benedictus Capelletti ex nobilium stipulatorum cohorte, marchio, quinquagesimum stipendii sui annum emeritus; Gallici sacerdotes ad ducentorum numerum peregre ad Urbem advenientes; Hispanici peregrini ad quingentorum numerum; Anglici classiarum centum; Sorores a Sacro Corde cum legationibus puellarum, quae undique Romanum profectae sunt ut solemnis beatificationis Magdalena Sophiae Barat, Sororum a SS. Corde Iesu Institutrici, et d. xxxi v. s. D. Gabrieli a Virgine Perdolente e Congregatione SS. Crucis et Passionis D. N. I. — Ad vesperum Pontifex in basilicam descendit novos Beatos veneraturus.

Pontificiae electiones.

— Inter episcopos Pontificio solo adstantes refertur Fridericus Philippus Abert, archiepiscopus Bambergensis.

— Excellentissimus vir Ioannes Cagliero, archiepiscopus Sebastenus, Apostolicus legatus mittitur ad Costaricensem civitatem.

— R. p. Aloisius Copere, Procurator generalis Societatis Mariae, inter iudices S. Congregationis de Propaganda fide cooptatur.

— Bernardus Christen de Andermatt, munere administri generalis O. M. S. Francisci Capulatorum perfunctus, archiepiscopus Stauropolitanus creatur.

Varia.

In Vaticana basilica Beatorum honores decernuntur d. xxiv mens. Maii v. s. D. Magdalena Sophiae Barat, Sororum a SS. Corde Iesu Institutrici, et d. xxxi v. s. D. Gabrieli a Virgine Perdolente e Congregatione SS. Crucis et Passionis D. N. I. — Ad vesperum Pontifex in basilicam descendit novos Beatos veneraturus.

ANNALES

Regum colloquia.

Fallières, Galicae reipublicae praeses, Londinum tenuit cum Eduardo rege colloquuturus; idque cum plausu etiam in continentis Europa terra acceptum est, quod veluti confirmatio apparuit consiliorum hinc a Germanis inde a Gallis initiorum de pace diutius inter Europaeos populos atque firmiter servanda. Iter enim, ut ita dicam, a Londinensi ac Lutetiano gubernio post Fasciodes discrimen suscepit longum plane nec facile semper exstitit, sed utiliter quidem; prouti hodierni eventus beneficia demonstrant. Eo enim perventum est, ut foedus inter duas nationes probabile videretur. Quaevis autem futura erit sors, quam foedus idem manebit, — a multis certe utrinque ex Britannici freti litoribus non ad breve tempus praevismus, neque multis desiderabile, — magnum id est proculdubio, quod de eo disputations institui potuerint.

Ut autem Londinensis conventus haec mens completeretur, accessit Revalense colloquium inter Eduardum ipsum et Nicolaum Russorum Caesarem, quod diaria nonnulla fontem tantae invidiae declarunt, ut Guilelmo, Germanico imperatori, orationem bellicam omnino tribuerent Doeberitz in oppido dictam; quod certe trepidationem hic illuc excitavit. Sed sollicite, idque opportune, nuncius falsus omnino ac subreptius recognitus est; quinimo ea causa fuit ut iterum civilis Germanica ratio palam et aperte illustraretur, eam scilicet esse quae paci cum ceteris populis summopere intenderet, oeconomicis socialibusque viribus inter cives suos promovendis unice nunc dedita.

In Belgica nova comitia habita ad medium partem tum popularium oratorum tum senatorum renovandam. Suffragia gubernio satis favorabilia cesserunt.

In Chilensi republica coetus sessiones resumptae praesidis litteris, florentes civitatis opes recognoscuntibus.

In Civitatibus foederatis Americae Septentrionalis civilis quae appellatur conventione, rennente Roosevelt praesidem confirmari, eidem successorem Taft proposuit, nunc a secretis pro bellicis negotiis.

In Gallia de civilium fructuum vectigalibus adprobata lex.

In Italia lex a gubernio proposita de regimine eorum qui publicis officiis vacant a socialistis, frustra licet, acerrime oppugnatur.

In Serbia nova comitia habita.

Alius denique Revalensis colloquii fructus exstitit Anglorum Russorumque pactio circa Macedonicam quaestionem solvendam; quae, licet publici iuris nondum facta sit, confirmatur tamen Murzstegensibus captis consilii conformis.

Mauritana res.

Mauritana fortuna ad Mulay-Afid se convertisse videtur, qui Fez et Mequinez dominus, Tingi pro-selytos in dies adquirit, quorum ope possit tandem Mauritani imperii Caesar reapse fieri. Quae quum acciderint, regeque sublatu qui Algeciras cum Europeis nationibus pactus est, quanquam harum actio futura erit? In Gallico legatorum coetu Pichon minister sententiam rogatus, respondit Gallici gubernii rationem eam futuram, qualis huc usque fuit, firmam nempe Algeciranum pacto et mandato ibidem accepto, sed voluntati omnibus nationibus communis obsequentem, ac simul ad Mauritani imperii nullius imperio subiecti bonum, atque ad internationale commercium spectantem. Verbis Gallici oratoris, incertis quidem ex rerum natura, omnibus est, pro tempore saltem, subscribendum.

Turcarum seditiones.

Turcarum interim gubernio providendum fuit ut quies in insula Samo restitueretur, ubi is est rerum ordo, qui populum temperet ad legibus suis utendum non idoneum. Post principes tres intra paucos menses immutatos, sedatio orta est, quam vi opprimere et sanguine oportuit.

Ex Americis.

Dum civitates foederatae Americae Septentrionalis, Roosevelt iterum eligi recusante, novo praesidi designando erecto animo student; lugent interim Grover Cleveland demortuum, qui eodem officio bis alias functus fuerat (1); in infima America civile bellum, apud Peruvianos saltem, missum fuisse videtur, Lecina civitatis praeside electo.

(1) De clarissimo viro, tempore hodie deficiente, in proximo numero peculiariter dicemus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS

In Anglia nova aerarii lex iuxta gubernii mentem lata.

In Austria rationes accepti et expensi in discrimen adductae.

PER ORBEM

Die xxi mens. Maii M DCCCCVIII Contich in Belgica curruum per ferreas vias actorum congressio fit: viatores sexaginta horribili morte mulctantur, centum et ultra vulnera patiuntur.

— die xxii ad Kieff actuariam pyroscapham per Borysthenem flumen navigantem praedones aggrediuntur, depopulantur.

— d. xxiii Romae in suburbano rure cui ab Humberto I rege nomen (olim Burghesiae familiae), aedes ad coetum legatorum omnium nationum agriculturae perpetuo fovendae sollemni ritu inaugurantur.

Sosnowice, carbonis fodina, cui Barbara nomen, aquis invadit. Caniculari duodecim submerguntur.

Lutetiae Parisiorum moritur Franciscus Coppée poeta, apud omnes populos humanitate liberalique ingenio merito celebratus. Natus erat Parisiis, an. M DCCC XL.

— d. xxiv Romae, Leo Delagrange machina a se inventa, quam aerooplanum appellavit, « aviatonis » experimenta aliquo felici exitu pertentat.

— d. xxv Fallières, Galicae reipublicae praeses, Londinum tenet.

— d. xxix Avilliani ad Augustam Taurinorum « dynamithis » fabrica incenditur: opifices duo misere pereunt, plures vulnerantur.

Die ii mens. Iunii Buller, Boerorum quondam strenuus dux, Londini supremum obit diem.

— d. iii Badensi in urbe nuptiae celebrantur Mariae Henricae magnae-ducis cum Gothofrido e principibus de Hoenlohe.

— d. iv Lutetiae Parisiorum dum ad Pantheon Aemili Zola exuviae transferuntur, graves tumultus fiunt; Gregory, diariorum scriptor, Alafridi Dreyfus,

notissimi illius centurionis, vitam, incassum tamen, manuballista petit.

— d. v Budapestini ad certamina singularia absenda conventus habetur.

— d. vii Massiliae musicae artis magistri ex omnibus nationibus, Massenet praeside ad honorem, congregantur.

— d. viii ad Novariam nova per ferriviam curruum occurso lugetur, in quo viatores quinque caeduntur, plures saudiantur.

— d. ix Romae vita fungitur Julius Prinetti marchio, iam publicorum operum rerumque ad exteriores Italorum minister, Mediolani ortus an. MDCCXLVIII.

— d. x Reval, Eduardus, Anglorum rex, et Nicolaus, Russorum Caesar, colloquium habent.

Lutetiae Parisiorum naturae concedit Gastonius Boissier, Gallicae academiae a secretis, veteris historiae scriptor et magister, Nemausi n. an. MDCCXXIII.

— d. xi ad Maffles oppidum in Belgica vaportraha e limitibus exiens nonnullos viatores ad mortem adducit.

Tokii in memoriam Iaponiorum militum, qui ad Arthurum portum fortiter occubuerunt, monumentum sollempni ritu exigitur.

— d. xn Beneventi placide quiescit in Domino Innocentius Polcari S. L., latinarum litterarum magister sapientissimus.

Telonii, Ullmo, Gallicae classis signifer, proditoris reus, coram militibus suo honore privatur.

— d. xv Caesaraugustae artium recensio, adstante Hispanorum rege et Gallico administratore Cruppi, aperitur.

— d. xvii, Dvinsk, in oppido Russicae provinciae Witebsk, incendium exoritur, quod favente vento late pervadens, decem civitatis insulas brevi absunit.

— d. xix Parma in urbe, ubi agricolarum ex condictio ab operibus recessio perdurat, graves tumultus agitantur. Plebs in milites iacit lapides, eosque manuballistis aggreditur, qui vim vi repellere coguntur.


— d. xx Zanzibar imperii Caesar Lutetiam Parisiorum, ut ibidem aliquantis per commoretur, pervenit.

LIBRORUM RECENSIO

ALINAE TASSETIAE liber: *Malleolis canendo Manus et Mens, e I. Schiffmacheri disciplina.* (Parisiis, ex officina Caroli Delagrange, 15 Via Soufflot, MDCCCVIII).

Iosephus Schiffmacher, modorum inventor et clarus interpres, marculi dempto sonitu, nervi, fidium percutiendorum novavit artem, et, quo voces canoras efficeret variisque ipsarum numeribus accommodaret, variam sonorum excoxitavit fabricam et qualitatem. Lumen enim umbrasque,

personas et circumiecta, conspectaque gradatim cum sonorum modulationibus recedentia quum in carmine videret, voces brachio moto aut immoto efficit, cum impetu immisit, aut exente digito examinavit. Quae quidem ordinatim per opera et soni gradus seriemque perfecta appetitur expressio, quemadmodum expresse eluet ex Alinae Tassetiae hoc libro, quem socii indicamus, dum clarissimae eius scriptrici vehementer gratulamur.



I O C I

In officina operarii duo, ira accensi, se invicem contumeliis lassunt. — « Tu stipes et truncus es », — exclamat unus; cui alter: — « Et tu mulus et asinus ». Clamorem audiens officinae dominus, severa monet voce: — « Me praesente, quis alium audeat stipitem asinumque appellare? ».



Filiola sexennis a matre novam pupulam poscebat. Cui illa: — « At tua pupa nondum vetula est; nec ullum in ea vulnus cerno, nisi unam alteram in vultu levem excoriationem. Recentem igitur ne repeatas ». — « At tu — reponit puerilla — superioribus diebus alteram pupulam accepisti, quam tamen prior ego pupa nec adeo senuerim, neque ulla morbo aut vulnere laborem ».

AENIGMATA

I.

Littera me pavit, nec quid sit littera novi;
In libris vixi, nec sum studiosior inde;
Exedi Musas, nihil hinc tamen ipsa reporto.

II.

Grande mihi caput est, intus sed membra minuta;
Pes unus solum, sed pes longissimus idem;
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

SYMPOS.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. X, n. IV proposita his respondent:

1) Navis - Avis - As; 2) Saccus - Soccus.

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnoni, Mediolano. — Guil. Schmidt, Londino. — Ios. Buttgens, Sutrio. — I. Ortiz, Morelia. — F. Guerra, Aletio. — Petrus Tergestinus. — Mich. Hebers, Neo-Eboraco. — Rich. Brondel, Brugis. — Lod. Dubois, Massilia. — Ios. Martins, Philadelphia. — Rich. Müller, Berolino.

Sortitus est praemium:

I. ORTIZ,
ad quem missum est IOANNIS BATTANI opus, cui titulus:

ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA (VII).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.
ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (8)

(Versibus senariis conscripta).

SCENA VII.
CROMATIUS, CIVES.

CROMATIUS (1).

Tu Romae diceris parens et patriae?
Ei quid hostis operetur peius?
Novum videtur herorum tibi genus
Fulgere, Roma! Regnabunt hi saeculis
Non armis, animis, virtutum gloria!
Decusque Fulviae, decus Caecilie.
Adest maius tibi decus quam Cleliae.
Quae vis, quae virtus cordis in angustiis!
Decus Romanarum, virtutum specimen,
Aequare ut ipsum Regulum tu diceris!
Sed qui possum funus Tarcisio dicere?
Iuvat domos eius referre nuncium (2).

SCENA VIII.
FULVIUS, deinde CAMILLUS.

FULVIUS (3).

Gradu quam lento pol horae nunc transeunt!
Heic iamdiu in loco quem condiximus
Camillum exspecto socium consilii.
Moratur ipse, videtur, diutius.
At haec mora pectus meum excruciat.
Ei mali forte numquid acciderit?
Caelum, terram, mare tentabo et nubila,
Ut Christianorum superbiam vindicem!
Trahit Camillus moram, sed immodice...
Ei quid accidit? Quis scit an stimulo
Adactus mentis currat ad suos iterum!
Pudentis coetus fit magnis in aedibus,
Eo se clanculum contulit sapiens,
Ut cuncta videat diligentissime.
Sed incusavi pol Camillum perperam;
Adest hic ipse (4). Quid boni portas, bone?

CAMILLUS.

Prius sine ut sumam paululum spiritum,
Et cuncta postea dicam per ordinem...
Nam voluisse venire antehac, probe!
Et festinanter properabam progredi...
Scio quam morarum sis vir impatiens (5)
Sies cum et ipse perquam morosissimus.
Sed ecce praemium cepi quam maximum,
Tuum quod omne desiderium superat.

(1) Post pausam, conversus ad locum qua Diocletianus fuerit egressus, manibus coniunctis et moestus.

(2) Exit.

(3) Deambulat quasi turbatus et loquitur secum submissa voce.

(4) Camillus prosilit in scenam et, anhelitu ob laetitiam intercepto, loquitur interrupte.

(5) Ironice.

FULVIUS.

Dic omne raptim: ausculo adrectis auribus.

CAMILLUS.

Erant Christiani frequentes admodum,
Canebant hymnos, psalmos; cum silentium
In aede fit: Dionysius Pontifex
Adest, in ore sanctus, ferens mysterium.
Eos tum verbis blandis allocutus est (1):
« Fratres, vidi nuper clausos in carcere
Damnatos crastinum turpi supplicio.
Haec una cunctis summa desideri
Adhuc recreari Christi semel corpore!
Quis audet ex vobis haec ferre munera? »
Silentium magnum mediis in fratribus.
Tunc ecce vultu laetus se fert in medium
Tarcisius, dicens grandi reverentia (2):
« Pater, mitte me! » — « Sed id aetatis puer... »
— « Iuventam milites verebuntur lenius,
Haud suspiciati ferre me mysterium ».
— « Scies salvare, venerit si periculum? »
— « Scio, me certius salvabunt angeli,
Meum suumque Regem; ne dubita!
Adest et mater, mihi, scis, dulcissima,
Cui possum ferre dulce refrigerium ».
Adhuc fato nescit cessisse Fulviam.
Stupent omnes, Dionysius prae ceteris,
Rem secum tacitus sanctam considerans.
Quasi caelesti tunc afflatus spiritu
Dionysius trahit de summo pectori
Auratum vasculum, et lacrimis madidus:
« Vade, fili, recto ad Mamertinum carcerem,
Eisque defer fratribus solatium ».
Humi prosternens magna se laetitia,
Accepti firma vasculum manu; exit...

FULVIUS.

Bonum! Sic imprudens dabit sese in manus!
Dii me perdunt, ni te mactem, puer!
Adest Quiritum turba, quae nos convenit.

SCENA IX.

CIVES, mox PUERI; CAMILLUS, FULVIUS (3).

I. CIVIS.

Adestne poena Christiani proxima?

II. CIVIS.

Hoc Caesar occupat semper nos suppicio.

(1) Gravi ore studet Pontificis vocem imitari.

(2) Simulat nunc Tarcisii vocem, tum Dionysii.

(3) Camillus et Fulvius sese inter turbam miscent.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italianam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. $0,25 \times 0,45$ Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos

— pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres

— bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. $0,63 \times 0,85$ in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit

ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit

uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCVIII Num. VIII.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna,"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1099, Rue Notre-Dame,